



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Sectio VII. Notæ circa Assistentiam per Legatos in Conciliis Generalibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

Eadem ferè videntur in *Octavo* Concilio Generali circa præfidentiam ut in *Sexto*, & in *Septimo*; nata, in Actionibus 6. 7. 8. dicitur, Imperatorem *BASILIUM* præfuisse, *præsidente piissimo Imperatore*. Et nihilominus in his Actionibus, sicut in præcedentibus, & in subsequentibus, Legati Pontificis primi referuntur omnium, qui ad Concilium convenerunt. *Conveniente Sancta Synodo, id est Donato Deo amicissimo Episcopo Ostiensi, & Stephano Deo amicissimo Episcopo, & Marino Reverendissimo Diacono Sanctæ Romanorum Ecclesiæ, locum tenentibus Adriani Sanctissimi Papæ Romani*. Indè enim cognoscitur, eos fuisse primos Concilii Patres, seu primos Prælatos, qui illud faciebant. Adice quòd, in subscriptionibus, quæ non minùs præfidentiam, quàm sessionis ordinem probant, hi tres Legati primi subscribunt; deinde Patriarchæ, pro dignitate Sedis suæ, quos sequuntur Imperatores: undè patet, eos non intendisse Concilio præesse, quod etiam patet ex modo, quo subscriptionem suam concipiunt; dicunt enim duntaxat, se Concilium recipere ejusque Definitionibus consentire: *Basilii Constantinop. & Leo perpetui Augusti, in Christo fideles Principes Romanorum, & magni Imperatores, sanctam hanc universalem Synodum suscipientes, & omnibus, quæ ab ipsa definita & scripta sunt, concordantes, subscripsi manu propria*. Prælati autem, qui antè subscripserunt, declarant, se definitionis esse participes; his verbis; *definiens subscripsi*.

Prælati, qui post Imperatores subscribunt, dispositi videntur pro dignitate sedium suarum, sicut Prælati anteriores; nam Metropolitanus subscribitur ex ordine, incipiendo ab insignioribus, & deinceps Episcopi: Undè manifestum est, Patres Concilii in eo sedisse secundum Ordinem dignitatis suæ. Idem videtur in eorumdem Patrum enumeratione, quæ est in capite singularum Actionum; nam disponuntur juxta dignitatem, Pontifex, Patriarchæ, Metropolitanus, Episcopi, sicut in Conciliis præcedentibus, cum hoc unico discrimine, quòd Magistratus & Officiales Imperii collocantur inter Patriarchas & Metropolitanos, quod huic Concilio peculiare est.

Cæterum, plura sunt Concilia Generalia, quæ, ut occurrerent, vel facilius sopirent controversias circa Sessionem, jussu sunt, sicut *Ferrariense* supra laudatum, ut locus ab aliquo occupatus in Concilio, nemini juri offerret. Vide Concilium *Constantiense* Sess. XXII. XXVI. *Basileense* Sess. XI. Cap. 16. Concilium *Trident.* Sess. XVI. in Declaratione super Brevi P. II. IV.

SECTIO VII.

Nota circa ASSISTENTIAM PER LEGATOS in Conciliis Generalibus.

NULLUM est Concilium Generale, cujus Definitiones supersint, in quo non videantur plures Prælati, qui per Procuratorem interfuerunt. Idem videtur in Catalogis personarum, quæ Concilio adfuerunt. Non solum inferiores Procuratoris munere functi sunt pro Superiore suo; sed Superiores, pro inferioribus. Sæpè etiam Episcopi sibi æqualium Episcoporum Procuratores fuere. Nec desunt exempla Procuratorum à Prælatibus electorum, qui vices suas aliis delegavere.

Sæpè factum est, ut eadem persona plurium aliorum fuerit Procurator, & vicissim, plures fuerint Legati unius personæ. Procuratoris officium exercuere, Patriarchæ, Metropolitanus, Episcopi, Chorepiscopi, Sacerdotes, & Diaconi. En! hæc sunt capita attentione digna, moxque probanda, circa assistentiam in Concilio, per Procuratorem.

Ex *Octo* Conciliis Generalibus, in Oriente habitis, sex sunt solum, quorum existant subscriptiones authenticæ: nempe sex posteriora. His in Conciliis, per Legatos interfuit solum Pontifex, vel non interfuit omnino. Utrumque indicatum fuit in *Notis* cir-

Tom. I.

cà Præfidentiam; ibi enim dictum fuit, Pontificem nec per se ipsum, neque per alium adfuisse in Concilio Generali V. aliis autem Conciliis Generalibus præfuisse, per Legatos suos. Quoad alia duo Concilia Orientis, primum & secundum, quorum subscriptiones suppositivæ, aut saltem suspectæ sunt. Historici docent, Pontificem interfuisse Concilio *Nicano*, per duos Legatos, *Vitum, & Vicentium*, qui Sacerdotes erant tantum. In subscriptionibus Concilii *Constantinop. I.* videtur, plures Episcopos, ipsi, per procuratores Presbyteros interfuisse. Duo reperiuntur in Provincia *Cælestria*, *Flavianus & Elpidius*, Presbyteri Antiochiæ: unus in *Cilicia* *Alipius*; unus in *Isauria*, *Pavlus*. Duo in *Pisidia* *Simplicius & Bassus*: unus in *Phrigia* *Pacatiana*, *Theodorus*.

Subscriptiones Concilii *Ephesini* fidem faciunt, aliquot Episcopos illud subscripsisse, per Sacerdotes, *Berecianus Episcopus Pergæ Metropolis subscripsi, per Theodorem Presbyterum*. Alii, per alios Episcopos subscripsere, *Olimpius Episcopus Claudiopolis subscripsi per Episcopum Epiphanium & Theosebium*. Alii, per suum Notarium, seu Amanuensem; *Venantius Episcopus Hierapolis per Notarium meum Theodorum*. Alii, per suum Archidiaconum; *Theodorus Episcopus Gaddatorum, manu Aetirii, Archidiaconi*. Alii, per Diaconum: *Bessula, Diaconus Ecclesiæ Carthaginensis subscripsi*. Probabile est, hunc Diaconum fuisse Legatum Episcopi Carthaginensis. Eadem subscriptiones docent, Pontificem interfuisse Concilio per tres Legatos, duos Episcopos, & unum Presbyterum.

In sententiis Patrum, in prima Actione relatis, videtur, *Flavianum*, Episcopum Philipporum, loqui nomine Episcopi Theſsaloniensis, & omnium Prælatorum Illyriæ. Episcopus *Cerantum* loquitur pro Metropolitanis *Cæsareæ*, declarando, id sibi mandatum fuisse.

In subscriptionibus Concilii *Calcedonensis*, videtur, plures Episcopos ipsi adfuisse, per procuratorem Metropolitanum suo datam. Quatuor fuere è Provincia *Tyri*, qui hoc modo adfuerunt: Sex ex Metropoli *Cyzici*; quinque è Provincia *Hierapoleos*, & undecim ex Metropoli *Laodicena*. Ibi cernitur præterea, quinque, sexve Episcopos huic Concilio adfuisse per alios Episcopos, aut saltem subscripsisse ejus definitiones, per eorum Ministerium. Tales sunt 1. Episcopus *Apamiæ* è Syria, 2. Episcopus *Epiphaniæ*; uterque per *Meletium*, Episcopum *Lariſſæ*, 3. Episcopus *Rhodi*, 4. Episcopus *Aretusa*, 5. Episcopus *Seleucobel*. 6. Episcopus *Mopsuestæ*. Nonnulli adfuerunt, seu subscripsere per Presbyteros. Tales sunt 1. Metropolitanus *Claudiopoleos*. 2. Episcopus *Halicarnassæ*, 3. Episcopus *Thranades*, 4. Episcopus *Pompeiopoleos*. 5. Episcopus *Amitrideæ*. Reperiuntur qui, per Archidiaconum suum adfuerunt, seu subscripserunt. Talis est Episcopus *Pisuntis*, per *Photinum* subscribens. Alii per Chorepiscopum suum. Talis est Episcopus *Abila*, qui per *Paternium* Chorepiscopum adfuit: Episcopus *Lesbis*, per *Evelpistum*, Chorepiscopum suum. *CONC. Tom. IV. p. 797.* Hos inter Subscriptores, Legati Pontificis non reperiuntur. Tres autem fuere: duo Episcopi, unusque Presbyter. Subscriptiones eorum reperiuntur inter eas, quæ merè Latinae sunt, & per Provincias dispositæ: quatuor autem hic numerantur, adjecto Presbytero uno p. 786. In Suffragiis, seu sententiis Patrum, quædam sunt, per Sacerdotes Episcopi sui locum tenentes, data: unum extat, in Actione III. pag. 436.

In subscriptionibus *Quinti* Concilii Generalis multa occurrunt exempla Episcoporum, qui Concilio per alios Episcopos, Procuratores suos, interfuerunt, eoque inter plures sunt Metropolitanus, qui per Suffraganeos suos adfuerunt. Tales sunt *Theſsalonicensis*, *Carthaginensis*, *Ancyranus*, & *Cyzicenus*: unus Patriarcha; nempe *Hierosolymitanus*, per tres è Suffraganeis suis interfuit, Episcopus *Tuneti* Episcopi *Carthaginensis* nomine, nec non Concilii suæ Provincie, adfuit, ut expressè dicit.

H 3

Subf.

Subscriptiones *Sexti* Concilii Generalis similia exempla suppeditant Episcoporum, qui Concilio, per alios Episcopos, interfuerunt: nam, præter quatuor, vel quinque Episcopos, qui Concilio huic adfuerunt, nomine CXXV. Prælatorum, è quibus Concilium Romanum constabat, Episcopus Buratenfis adfuit, pro Metropolitano Iconensi. Verùm aliquid notabilius est in his subscriptionibus. 1. Pontifex *Agatho*, per duos Sacerdotes, & unum Diaconum interfuit. 2. Patriarcha Alexandrinus, per unum Presbyterum interfuit. 3. Similiter Hierosolymitanus Presbytero usus est: quo in Legato id singulare est, quòd à Vicario Patriarchæ missus fuerat. 4. Sacerdos unus locum tenet Archiepiscopi Ravennatis. 5. Diaconus Amastriensis Episcopi sui Legatus est.

Nec pauciora, in Concilii Generalis subscriptionibus, existunt exempla Episcoporum, qui Conciliis Generalibus, per Procuratores interfuerunt: verùm discrepant à præcedentibus. Hic enim videmus, quinque Diaconos Episcoporum suorum Legatos, & decem, duodecimve Presbyteros, ab aliis Episcopis, ad idem officium missos. Porro, in Conciliis præcedentibus, pauci sunt Presbyteri delegati & pauciores Diaconi, plures autem Procuratores ex Episcoporum numero sumpti sunt. Præter has res, est aliquid notabile in subscriptionibus VII. Concilii Generalis: nam Pontifex mittit Abbatem cum Presbytero, Procuratorum nomine, quod hucusque non vidimus; tres Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus eosdem Legatos mittunt, qui sunt Presbyteri Monachi.

Si Concilium Generale VIII. conferatur cum præcedentibus, quorum subscriptiones authenticæ extant, nullum est, cui pauciores Prælati per Procuratores interfint: soli enim Pontifex & tres Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus hoc modo interfuerunt. Pontifex duos misit Episcopos, & unum Diaconum; Patriarcha Alexandrinus, unum Diaconum; Patriarcha Antiochenus Metropolitanum Tyri: Hierosolymitanus, Presbyterum.

Priusquam ad Concilia Occidentis deveniam, observari necesse est, quòd in plerisque utriusque Regionis, existunt probationes assistentiæ Imperatorum & Principum per Procuratores: nam perrarò ipsi convenerunt, & multò rariùs per se ipsos omnibus Sessionibus interfuerunt: undè factum est, ut, loquendo de præsentia, notaverimus, tria solummodò esse Concilia, in quibus dicitur, Imperatorem præfuisse, id autem dicitur de aliquot Sessionibus duntaxat. Porro, si omnibus Conciliis, omnibusque eorum Sessionibus adfuisset Imperator, præfuisset ipsis pariter, idque expressè commemoratum fuisset, ut major auctoritas temporalis Concilio tribueretur. Quoad Concilia Generalia Occidentalia, duo sunt, quibus Imperatores per se ipsos adfuerunt, *Constantiense* & *Florentinum*; imò *Sigismundus* Imperator non adfuit hoc modo Constantiensi, per totum tempus celebrationis ejus; sed sæpiùs per Legatos suos, qualiter cæteri Principes huic Concilio, & aliis præcedentibus ejusdem Regionis interfuerunt.

Est etiam notabile quòd, cum in Actis Conciliorum Orientalium aliquot existant exempla Conciliorum Particularium, quæ ad Concilia Generalia delegaverunt; similiter Acta Conciliorum Occidentalium, plures suppeditant probationes Legationum ad hæc Concilia missarum, per Capitula Ecclesiarum Cathedralium, aliave Collegia Ecclesiastica.

Præterea, observandum est, triplex esse Instrumentorum sive Actorum genus; ex quibus dignosci potest, an ii, qui Conciliis Generalibus interesse tenentur, id fecerint per Procuratorem. 1. Bullæ convocationis, quæ præcipiendo assistentiam, excipiunt eos, qui legitimo impedimento detinentur, quibus jubent, ut Legatum mittant. 2. Catalogi eorum, qui Concilio interfuerunt, in quibus distingui solent ii, qui per se ipsos adfuerunt, ab iis, qui Procuratores misere. 3.

Subscriptiones, in quibus ii, qui alienam personam gerunt, id expressè significant. Hæc ultimâ ratione, patuit quòd in omnibus Conciliis Orientalibus extiterint Prælati, qui per Procuratores convenère, & quinam sint hi Prælati, & quinam Procuratores; quia subscriptiones illorum Conciliorum sedulo conservata fuerunt: at, propter contrariam rationem, similia facta dici nequeunt ex subscriptionibus Conciliorum Occidentalium, quæ perire excepto Concilio *Florentino*, si ex *Labbæi* Collectione judicium feramus. Quantum ad Bullas Indictionis attinet, indè peti non possunt hæc facta quoad Concilia Orientalia; quia nullæ sunt, & quoad Concilia Occidentalia nihil suppeditare valent, nisi post Concil. *Lateranense IV.* nam primum illud est, cujus Epistolæ convocationis mentionem faciunt assistentiæ per Procuratorem; & tam illi quam alii, qui canonicè forte præpeditone detenti personaliter venire nequiverint, idoneos pro se dirigant responsales CONCIL. Tom. XI. p. 124. Quod venit ex eo, quòd nullæ sunt Epistolæ convocationis 1. nec 2. & convocationis 3. ad solos Episcopos Etruriæ inscribuntur, qui ob propinquitatem faciliè ad Concilium convenire poterant.

Sed, post Concilium *Lateran. IV.* pleraque Concilia Generalia per Bullas fuere indicta, quæ mentionem facere solent potestatis assistendi per Procuratorem, in casu impedimenti; quæ autem illam omittunt, illud faciunt, quia ea juris est, quæ subauditur, etiam si non exprimitur. Epistola convocationis *primi* Concilii Lugdunensis, Archiepiscopo Senonensi inscripta, & probabiliter ad alios Archiepiscopos transmissa, mentionem facit assistentiæ per Procuratorem, quoad Capitula; *Innocentius IV.* ejus est author. Idem, in Epistola ad Regem Galliæ, eadem de causâ, illum rogat, ut aliquem suo nomine mittat ad Concilium. Credibile est, eandem Epistolam, ad alios Principes transmissam fuisse,

Similes existunt probationes, in Actis 2. Concilii *Lugdunensis*. De licentia assistendi per Procuratorem in casu impedimenti expressus fit sermo, in Epistola *Gregorii X.* ad Patriarcham Hierosolymitanum, omnesque Prælatos districtus ejus, in quâ jubet, ut ii, qui remanebunt in Provinciâ, ad obeunda munera Episcopalia, pro se, atque aliis, delegent Procuratores: similiterque faciant ii, qui legitimo impedimento præpeditur, nec non & Capitula; quia non possunt venire ad Concilium.

Credibile est, similes Epistolas ad alios Prælatos, Prælatorum Superiores, transmissas fuisse. De assistentiâ per Procuratorem, par fit sermo, in Epistola ejusdem Pontificis ad Imperatorem *Michaelém Paleologum*, circa idem Concilium, in qua hunc rogat, ut mittat Legatos, nisi ipse conveniat.

Quod observatum fuit in Epistola *Gregorii X.* ad Patriarcham Hierosolymitanum, adverti quoque potest in Epistola *Clementis V.* ad *Philippum Pulchrum*, ad convocationem Concilii Viennensis; Pontifex expressè dicit, Episcopos, qui remanebunt, ut munera Episcopalia exerceant, & eos, qui legitimo obstaculo impediuntur, mittere debere Legatos, sicut Capitula, CONCIL. Tom. XI. part. 2. p. 1543.

Cardinales scribendo ad *Benedictum XIII.* eumque rogantes, ut in Concilio, quod convocabant, conveniret, excipiunt casum legitimi impedimenti, qui si acciderit, cupiunt, ut Procuratores mittat, CONCIL. Tom. XI. part. 2. p. 2116.

Joannes XXIII. in Bulla convocationis Concilii Constantiensis, invitat omnes jus assistendi Concilio Generali habentes, ut Constantiam conveniant, sive per se ipsos, posito quòd valeant, sive per Procuratorem, in casu impedimenti, CONCIL. Tom. XII. p. 12.

Julius II. prorogando tempus 1. Sessionis *Quinti* Concilii *Lateranensis*, jubet, ut ii, qui tenentur interesse Concilio Generali, huic assistant seu per se ipsos, seu per Procuratorem, si legitime impediuntur, CONCIL. Tom. XIV. p. 43.

Eadem

Eadem res videtur in Bulla indictionis Concilii Tridentini à Paulo III. p. 731. & in Bulla Pii IV. Sess. 16. p. 837. In his omnibus Bullis Convocationis, aliisque supra laudatis, Abbates annumerantur Prælati, qui jus habent assistendi Concilio, etiam per Procuratorem.

Subscriptiones junctæ Definitioni Concilii Florentini plura suppeditant exempla Prælatorum, qui per Procuratorem interfuerunt; tales sunt 1. Patriarcha Alexandria, pro quo adfuerunt Metropolitanus Heracleæ, & Primas omnis Thraciæ ac Macedoniæ; & Abbas Protosyncellus & Confessarius ipsius. 2. Patriarcha Antiochia, pro quo interfuit Primas Russiæ; 3. Patriarcha Hierosolymitanus, cujus nomine adfuit Metropolitanus Monembasiæ. 4. Archiepiscopus Ancyranus, pro quo adfuit Metropolitanus Cyzius. 5. Primas Cæsariæ, cujus Procurator fuit Metropolitanus Trapezuntis. 6. Metropolitanus Sardium, pro quo Archiepiscopus Nicea interfuit. 7. Metropolitanus Nicomediæ, cujus nomine adfuit Metropolitanus Tornobii. Duo sunt, præterea, Metropolitani, qui pro aliis Prælati interfuerunt. Deinceps videntur Duo Episcopi, unusque Archidiaconus, quatenus Legati Ducis Burgundiæ & Brabantiæ, CONC. TOM. XIII. p. 518. & 519. Quoad catalogos Personarum, quæ Conciliis Generalibus interfuerunt, duplicis illi sunt generis: alii Generales, complectentes nomina Personarum, quæ Concilio assisterunt in qualibet Sessione: alii Particulares, continentes nomina eorum, qui uni Sessioni adfuerunt. Antiquiores generalium, sunt Catalogi Concilii Pisani, in quibus multa sunt notabilia circa assistentiam per Procuratorem. Distinguntur 8. Classes Procuratorum: 1. Est Legatorum Principum immediatè post Cardinales locata. 2. Est Procuratorum Archiepiscoporum, sequens omnes continet Prælatos, qui personaliter adfuerunt. 3. Procuratorum Episcoporum continuè sequitur. 4. Illi subjecta est Classis Procuratorum Abbatum. 5. Est Procuratorum Capitulorum. 6. Est Deputatorum Urbium & Dioceseon. 7. Sequuntur Deputati Provinciarum. 8. Denique Deputati Communitatum. Post Indicem generalem prædictum, nullus est Catalogus, nisi is, qui legitur ad Calcem Concilii Tridentini, in quo plura sunt notabilia circa assistentiam per Procuratorem. Nam 1. una est classis Cardinalium Legatorum. 2. Alia est Legatorum Principum, seu Misorum. 3. Alia est Classis Procuratorum Episcoporum absentium. 4. Computando in fine numerum omnium Patrum, qui, tam per se ipsos adfuerunt, quam per Procuratores, undecim Procuratores numerantur. Quoad Catalogos Particulares personarum, quæ singulis Sessionibus adfuerunt, duo sunt tantum Concilia, in quibus ii videntur, Lateranense V. & Tridentinum, in singulis eorum una est Classis Procuratorum.

His probationibus assistentiæ in Conciliis Generalibus per Procuratorem undequaque petitis, ex subscriptionibus, opinionibus, Bullis indictionis, Catalogis assistentium, aliud genus adjici posset, sumptum è Conciliis, in quibus Patres Nationis suæ nomine egerunt tantum, de quibus mox dicemus; illi enim reipsa Procuratores fuere, Nationis suæ Corpus representantes.

SECTIO VIII.

Note Historica circa MODUM SENTENTIAM DICENDI, in Conciliis Generalibus.

Patres Conciliorum pluribus modis sententiam ferre possunt, 1. per Nationes, 2. per Patriarchatus, 3. per Primatias, 4. per Provincias, 5. per Dioceses. Si autem quatuor modis prioribus opinentur, id fit, vel per Capita, vel per Collegia. Per Capita, si unusquisque Prælati Nationis, aut Patriarchatus, aut Primatiæ, aut Provincie, suo nomine suffragium proponat in Sessione publicâ: per Collegia, seu Corpora, cum, post collecta in Congregatione particulari vota singulorum Patrum, ab unoquoque districtu delegatorum, aliquot ex iis, ad Sessionem publicam mittuntur, ut conclusionem totius districtus in eâ proponant.

Quærimus hic, quis modus sententiam dicendi observatus fuerit in Conciliis Generalibus? Circa quod, constat, 1. in *Octo* prioribus, suffragia Patrum per Capita data fuisse, quod evincitur per Acta: Nam singuli Patres suo nomine subscribunt; & si quandoque pro aliis subscribant, id fit, ut plurimum, alicujus privati nomine, cujus mandatum se habere declarant. Dicimus, ut plurimum; idè quòd, prout observatum fuit Titulo præcedenti, quædam sunt Concilia, in quibus tres quatuorve Metropolitani subscribunt, pro pluribus Episcopis Provincie suæ, à quibus commissi fuerant. Idem colligitur ex suffragiis, seu opinionibus Patrum: nam singuli vulgò pro se loquuntur, & raro pro aliis; hoc autem in casu, pro uno aut altero tantum, exopto casu prædicto Metropolitanorum.

Utraque probatio sumpta ex opinionibus & Subscriptionibus locum habet solum erga sex posteriora Concilia namque, ut multoties observavimus, ea sola sunt, quorum sinceræ superint subscriptiones, nec non opiniones. Quoad duo priora, verum est iis adjectas fuisse aliquot subscriptiones, in quibus Patres per Provincias disponuntur; sed nihilominus verum est, has subscriptiones suspectas esse falsitatis, maxime quoad dispositionem.

Quoad Concilia Occidentis, neque per subscriptiones, neque per Opiniones, cognosci potest, quis fuerit modus suffragiorum ferendorum, nullum est enim ex iis Conciliis, in cujus Actis Opiniones relatæ fuerint: unicum est *Florentinum*, cujus subscriptiones existant; hæ autem probant, suffragia per Capita data fuisse, sicut in Conciliis Orientis, & credibile est, eundem modum in Conciliis Occidentis observatum fuisse, nisi contrarium appareat. Cum enim hic modus opinandi, à Jure Communi sit constitutus, & in Conciliis Particularibus omnium Sæculorum observatus, perindè ac in Conciliis Generalibus novem priorum Sæculorum, magna est præsumptio, hunc morem in Conciliis Generalibus Occidentalibus, observatum fuisse; huic autem standum, nisi contrariis probationibus destruat. Sed quænam sunt illæ probationes? Tales ne existunt in Actis aliquot Conciliorum? Respondemus 1. in Actis Concilii Pisani quædam esse loca, quæ suggerant, Patres Concilii per Nationes distinctos fuisse. CONCIL. TOM. XI. part. 2. Primus est in Sess. V. p. 2172. ubi fit sermo de Electione Scrutatorum Testium, ex singulis Nationibus sumendorum. Secundus, in Sess. VI. p. 2194. ubi dicitur, Nationem Anglicam, & Nationem Germanicam nondum elegisse Scrutatores.

2. Alia sunt Loca in iisdem Actis, ex quibus inferri potest, suffragia provincialium fuisse collecta: nam in Sess. V. supra laudata, dicitur, Scrutatores Testium eligendos esse per Provincias, & in Sess. XX. p. 2209. leguntur hæc verba, *Sumpta deliberatione per Provincias aliquot diebus.*

Contra has conjecturas objici non debet, quòd in catalogo personarum, quæ huic Concilio adfuerunt, ea neque per Nationes, neque per Provincias disponuntur; id enim provenire potest ex eo quòd Author Catalogi nihil aliud statuit, quam referre singulos in Classem dignitati eorum competentem, prout Cardinales erant, vel Legati vel Patriarchæ, vel Protonotarii, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates Generales Ordinum, Commendatorii, Priores, & Procuratores Generales, Priores Conventuales & non Conventuales, Graduati, missi ab Universitatibus, Procuratores Archiepiscoporum, aut Episcoporum, aut Abbatum, aut Capitulorum, aut Dioceseon, aut Provinciarum, aut Communitatum.

3. In Actis Concilii *Constantiensis*, plura videntur loca, quæ faciunt mentionem distinctionis Patrum Concilii in quatuor Nationes, Gallicanam, Italianam, Germanicam, Anglicam. Nam, circa medium Sess. I. electi fuerunt Protonotarii & Notarii uniuscujusque Nationis; & in principio Sess. IV. fit sermo de Procuratoribus & Syndicis earumdem Nationum, In Sess. xxvi. fit mentio ordinis inter Nationes &